



995

Sammelwerk
K

[Faint handwritten text]

- 1.) ...
- 2.) ...
- 3.) ...
- 4.) ...
- 5.) ...
- 6.) ...
- 7.) ...
- 8.) ...
- 9.) ...
- 10.) ...
- 11.) ...
- 12.) ...
- 13.) ...
- 14.) ...
- 15.) ...
- 16.) ...
- 17.) ...
- 18.) ...
- 19.) ...
- 20.) ...



Quid de Doctorum Auditorumue que-
relis, quibus illi, turpis ignaviae negli-
gentiaeque, hos adcusant; hi vero, impactum sibi cri-
men, omnibus amoliri viribus conantur, statu-
endum sit, disquirat:

Simulque, praelectionum suarum, partim hucdum non
sine successu habitarum, partim hoc semestri de-
nuo incoandarum, rationem
reddidit,

HENR. AVGVST. TOEPFFER

S. S. Theol. et Metaphys. Prof. Publ. nec non ad
S. Trinit. Pastor.

S E R V E S T A E,

Litteris CHRISTIANI BÖHMII, Illustr. Gymn. Academ.
Anhalt, Typographi, 1746.


sepa
chen
iren
was
und
aber
ken,
; ff

bber
ände
hhen
noch
olle.

psima
a, de







Q. D. B. V.



Est plerorumque hominum, pro naturali, ~~aque~~ perueritissima, qua laborant, *φιλαντία*, indoles, ut, officii sui partes temere negligentes, culpam, quam negare nequeunt, si non omnem, praecipuam tamen, in alios transferre, omni studio conentur; tantum innocentiae suae accedere, quantum aliis culpaе possint imputare, praepostere arbitrati. Frustra exemplis probarem id, quod experientia loquitur quotidiana. Corruptam admodum, scholarum bene multarum, tam triualium, quam illustriorum, faciem agnoscunt, deplorant cordati omnes, damna inde irreparabilia, publicae rei oritura non abs re metuentes. Effectus manifesti causas subesse sufficientes, earundemque praecipuas, vel in docentibus, vel in discentibus esse quaerendas, nemo, opinor, temere inficiabitur. Docentes de supina discentium ignavia, negligentia, inconstantia, petulantia, publice; hi de maxime necessariorum praelectionum defectu, de doctorum ineptitudine, commoditateque

A 2

(liceat,

(liceat, res barbaras, barbaris exprimere nominibus) peruerfaeque, qua vtantur, methodo, clam plerumque, publice enim vix audent, acerbissime conqueruntur. Hi parentibus cognatisque, isti, pro publica, qua gaudent, auctoritate, reliquis fere omnibus, fidem facili negotio faciunt. Querelas haec saepe numero iustissimas, nonnumquam vero, culpam in alios propriam transferendi, iniustissimum remedium, esse, quis negabit? Interea haud raro videas, vtrunque conatus indignissimos aliquamdiu ita feliciter succedere, vt hi parentum aures obtundant, mentesque eorum, praeiudicatis aduersus doctores opinionibus, impleant; Isti vero, cum officii sui partibus, satis plane facere, vel nolint, vel omnino, quod tamen turpe dictu, non possint, ipsis etiam superioribus fucum faciant. Sententiam pro alterutra parte, altera inaudita, pronunciare iniquissimum foret. Audiamus ergo vtramque.

Pone doctorem, linguarum, artium scientiarumque, quas proficitur, satis gnarum, in comoda non propria sed auditorum vnice intentum, necessariis, quae ad docendum requiruntur, virtutibus praesidiisque instructum, in laboribus indefessum, reclusissimaque, et, qua fieri poterat, breuissima ad eruditionem via, auditores ducentem: auditores vero nihilominus inuitationes eius, paternasque adhortationes spernere, scholas fastidire, otio se dare, morumque petulantia, turpem scholae, gymnasioue maculam inurere, quis iustissimos doctorum querelas damnabit? Ast, finge, doctorem beatissimae iam in hac vita memoriae, iudicium olim demum expectantem, doctorem, diffusissimae quidem lectionis, sed summa imis, quadrata rotundis, miscentem, in praelectionibus suis, per omnes terrae plagas subinde ita diuagantem, vt ipsemet, in viam redeundi, viam haud raro vix inueniat, doctorem, inquam, qui, cum alios, distincta rerum cognitione, imbuere debeat, ipse confusissimis laboret conceptibus. Fac, matheos doctorem dari, qui ipse prima vix arithmetices & geometriae elementa degustauerit, et qui in vtraque scientia vix vltiores, quam vulgares, nec eruditi, arithmetici, agrique mensores, progressus fecerit. Finge tandem eloquentiae doctorem, qui, ne vernacula quidem lingua, in
corrupte

corrupte vtatur, qui, quoties mentis fensa latino, siue ore, siue calamo
exprimere tentet, quouis gradu turpissime impingat, barbaraque ac
solaeca dictione, auditoribus, nondum omnino delicatissimis,
nauseam subinde creet. Finge, inquam, eiusmodi doctores, et iu-
dica, quo iure de auditorum defectu conquerantur, horumque indi-
ligentiam propriae praetendant culpae. Num, si ita res sese habe-
at, queres auditorum voces iniustas pronuntiabis? num vitio
illis veritas, si operam subterfugiant inutilem, cum inestimabili
temporis dispendio coniunctam?

Sed dicis: *auditorum, & quidem iuuenum, non est, de do-
ctorum dexteritate, docendique methodo, iudicium ferre.* Certe,
is ego non sum, qui temeraria iuuenum, de rebus, captum eorum
multum transcendentibus, iudicia probem: sed enimvero, an-
non ad studiosos quoque iuuenes illa Pauli regula pertinet?
πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. a) Ego vero putauerim ad
eos, prae aliis, pertinere eam vel maxime. Ratio docet, reuelatio
confirmat. Coecum plane ad sensum, ad plausumque postulare,
tyrannidem profecto saperet plusquam pontificiam. Iudaeorum
magistri, ipsum sanae rationis usum, eiurasse non immerito dicun-
tur, quando coecum istiusmodi, in rebus quoque absurdissimis,
ad sensum a suis exigunt. b) Ego certe doctori, qui auditores suos
omni iudicandi libertate interdiceret vellet, vt non homines, sed
canum equorumque pullos, ratione, adeoque et iudicandi faculta-
te, destitutos, erudiendos sibi formandosque sumeret, auctor es-
sem suaforque,

Inftas;

a) 1 *Theff V*, 21.

b) ita *R. Sal. larchi ad Deut. XVII*, II, postulat, vt iudici quem
inter Iudaeos Rabbim esse oportet fides habeatur, אֵינֶן
אומר לך על ימין שהיא שמאל ועל שמאל שהיא ימין
i. e. *se vel maxime dicas, dextram manum esse sinistram, sini-
stram vero dextram.*

Inſtas : ſublimiora autem ſcilicet chaldaica , rabbinica , tal-
mudica ſunt , quae in gymnafijs , ſigillatim academicis , tractari de-
bent : proh Deum immortalem ! quam libens ego in ſententiam
tuam concederem , ſi auditores adſint , qui poſſint capere. Fru-
ſtra dubio procul docentur , quae altiora ſunt , quam ut captus au-
ditorum ea poſſit adſequi. Indefeſſa linguarum ſacrarum cultura,
theologiae ſtudioſo , certe ſumme neceſſaria. Contemptus earumdem
eſt abſurdiſſimus , nocentiſſimus. Huius vero eos , qui utramque,
peculiari quotidie hora , debita induſtria tractant , et ad rationem,
de profeſſibus ſuis , cuius , iſtam requirenti , reddendam , promti
ſunt , inſtimulare , iniquum foret. Studium quoque rabbinicum , ſua
ſe commendat utilitate. Equidem *Rabbinorum ſcripta , inter hiſto-*
riarum fontes referre , et hinc rabbinismi utilitatem demonſtrare
minime auſum. Credat Iudaeus Apella , non ego. Lepida ſane , et
omnium anicularum , minime ſuſpicioſarum , ſed ad credenda quae-
nis promtiſſimarum , fide digna hiſtoria prodiret , ex lutulentis hiſce
commenticiarum , abſurdiſſimarumque fabellarum plenis fontibus
deriuata. Cauſae omnino aliae ſunt rabbinismi ſtudioſum commen-
dantes , ita tamen , ut iuſto ordine , locoque debito , tractetur.
Etiam hic valet , neceſſaria praeferenda eſſe utilibus. Emas , non
quod opus eſt , ſed quod neceſſe eſt. Qui , primis ſaltem labijs , hoc
ſtudiorum genus deguſtarunt , probe norunt , quam exquisita regu-
larum formarumque grammaticarum , ſive verba , ſive nomina
ſpectes , cognitio , quanta vocabulorum copia , praerequiratur ab
eo , qui quaeſcumque ſaltem in hoc ſtudiorum genere facere volu-
erit progreſſus. B. *Danzius* in praef. ad Rabbinismum ſuum egregie
confirmat : *Neminem ab ſe ad ſcholas rabbinicas eſſe admiſſum , niſi*
qui notitia idiomatis Ebraeo Chaldaei biblici plane imbutus eſſet ;
litteris etiam Syriacis ſatis adſperſus. Quid ergo de me ſentires , ſi
ſcholas rabbinicas aperire vellem eis , qui , ne legere quidem , ebraica
adhuc didicerint ? aequè prudenter ſcilicet me acturum cenſeres ,
ac ſi quis Homerum Hefiodumque praelegret puero , ne flexio-
nem quidem nominum verborumque graecorum adhuc callenti.
Intempeſtue , nequid grauius dicam , in gymnafijs praemittun-
tur

rur ea, quae paucissimi, vix tandem, in academiis attingunt. Nostrorum temporum mores respicio. Patrum enim memoria, diversissima ab his erat rerum facies. Non adeo praepropero cursu festinabant iuvenes, seu euolabant potius, ad academias, ut nostris, proh dolor! temporibus, a plerisque, fieri consuevit. Admodum imparati ad nos plerique veniunt. Pauci ultra biennium apud nos commorantur. Multi definitum a superioribus, vel vnius saltem anni spatium, aegerrime implent, moramque hanc impatientissime ferunt. Quilibet, opinor, me etiam tacente, nullo negotio videt, quam prudenti opus sit, per tam breuiculum temporis spatium, praelectionum delectu, ut ciues nostri, ad altiora in academiis studia praeparandi, in iis, pro ut par erat, erudiantur, quae ipsis, omnium maxime, necessaria videbantur.

At vero dicis, et illi inter nostrates, qui aliquam adhuc studiis philologicis operam dant, *non tam grammaticam, quam grammaticam potius tractant.* Ita vero non tam discites, quam docentem ipsum adcurabis. Hic autem, nisi de grauissima sibi, per subdolan calumniam, illata iniuria, conqueri debeat, ut dictis fidem facias, iure suo postulabit.

Vrget porro: *legibus publicis, earumque seuera executione, cogendos esse patriae saltem ciues, ut filios humaniorum artium studiis consecratos, antequam ad academias progrediantur, nostrae committant institutioni.* Cogendos sigillatim singulos gymnasiū nostri ciues esse, ut publicas saltem, easque, non in priuatis, sed publico auditorio habendas, praelectiones frequentent, ita namque futurum esse, ut gymnasiū ciuibus, auditoria abundent auditoribus. Prouidam certe summorum NVTRITORVM pro gymnasiū nostri incrementis, hac ratione promouendis, curam optimus quisque deuotissimo mentis cultu mecum veneratur. Sed, si dicendum, quod res est, sola illa violenta remedia, rem minime conficiunt, quae, si ab ipsis docentibus nimio vrgeantur studio, mihi semper suspecta videri, ingenue fateor. Non verbis gloriemur, sed ipso facto auditores nostros, et per hos eorundem quoque parentes, aliosque, siue cis, siue transalbinos, conuincamus, ea omnia hic, quae in scholis, ex causis compluribus, fuerant neglecta, abunde

abundantissime posse refarciri. Ita persuasissimus sum, fore, ut non externus saltem, sed internus potissimum, gymnasii nostri splendor, noua in dies, eaque illustriora, capiat incrementa. Non vis et metus, sed proficiendi studium, erectioris ingenii iuuenes huc compellet, hoc & ciuium numerum augebit, et quod praecipuum erat, tales nobis, quales optamus, parabit auditores, non inuitos scilicet, sed discendi ardore flagrantes.

Ad publica speciatim quod attinet *collegia*, ista, quae dicta sunt, uel de omnibus, uel de vno saltem alteroue erunt intelligenda. Dicis, de meo saltem, ut capiatur, volo. *Ibi enim ea tracto, quae omnibus sunt scitu necessaria & maxime profuturo.* Sed annon reliqui doctores, idem, et, si non maiori, eodem certe iure, de suis adlerent publicis praelectionibus? sin ergo, quae supra dicta, ad omnia collegia publica extendantur, quinque certe quotidie horae, a singulis auditoribus, publicis erunt praelectionibus consecrandae. Quot ergo relinquuntur priuatis? Accedit, quod publicae plerumque scholae, non nisi duobus, quauis hebdomade, diebus aperiantur. Binas igitur horas hasce ut obseruet studiosus, carere cogetur collegiis priuatis, eadem forte hora quotidie, adeoque cum fructu longe maiori, frequentandis. Cuius vero inter est, colligia publica, an in publicis, an in priuatis habeantur auditoriis? Vtrumque, frequentius autem posterius, in ipsis, et omnibus quidem, quod sciam, academiis in dies fieri videmus, utpote cum insigni doctentium discentiumue commodo coniunctum. Quare et in nupero anniuersario ab ipsis excellentissimis SERENISSIMORVM NVTRITORVM Legatis id cuius vis arbitrio fuit relictum, Num vero abs Te ipso ea, quae ab aliis requiris, obseruantur? Qui ergo alios hoc nomine adculas? Ego certe, quam primum ciuium nostrorum numerus ita adcreuerit, ut domesticum eos auditorium non satis capiat, ex primis ero, qui publicum, cum auditoribus suis, laetus peter.

Pergis: *Olim certe, ante triginta hosce annos, idem collegium meum publicum. quanta auditorum frequentia habitum sit, probe memini. Si causam, ab ipsis, qui tum fuerunt, auditoribus nostris, nunc quidem sciscitemur, sapienter respondenti: oportebat nos, praelectiones istas frequentare: hodierni vero neglectus indiligentiae.*

vt
ri
n
es
ci-
n

taeque causas publice indicare nec libet, nec licet. Ne tamen o-
mnino nihil dixisse videaris, libertatem adcasus, quam iactant ho-
die, quam defendunt. Relinquam ego superioribus temporibus
sapientiam istam, si talis fuit, coactioni superstructam. Occultas
vero hodiernae indiligentiae causas in lucem protrahere, quidni
liceat? Alias, huius generis defensiones *μυσγηιδεις* (quas myste-
riosas, nouo quidem, sed forte non inconuenienti nomine dixeris)
non optimam causam prodere, a multis, nec forte immerito, iudican-
tur. Malum clam serpens, si mederi eidem velimus, detegendum
est. Vtrumque fidi doctoris postulat officium. Effrenatam quid-
libet audendi patrandique licentiam detestor, libertatem vero ho-
nestam, sanae rationis vsui innixam, liberalioribus ingeniis dignam,
liberaliorum artium cultoribus vindico, propugno.

*Negliguntur vero a nostris, ita pergis, studia maxime neces-
saria, nominatim historiae vniuersalis, cum tamen, ea destitutus, ne-
mo, quis demumcunque sit, Latinae peritiam linguae consequi, vel
ad stilum ornatum perduci, vel ad oratoriam praeparari possit.* E-
quidem historiae vniuersalis studium, cuius erudito maxime ne-
cessarium, quauis occasione data, modis omnibus commendo: vt
ordine succincto, scopoque conuenienti ratione tradatur opto. Ra-
tiones vero, quibus necessitatem eius adstruere conaris, nego. La-
tinam calleat linguam, quicumque historiam vniuersalem ex genui-
nis fontibus haurire cupit, necesse est. Equis vero sanioris men-
tis, ipsam linguae copiam, facultatem elegantiamque, non nisi hi-
storiae vniuersalis ope, obtineri posse dixerit? Historia oratori
amplissimam suggerit dicendi materiam, praeparationem vero ad o-
ratoriam, non nisi istius ope fieri posse minime crediderim. Vereor
autem, ne, pluribus haec confutando, aequae ridiculus fiam, ac ille, qui
haec talia serio adserere, propugnareque sustinuerit.

*Cum mercatoribus comparantur doctores. Nolim ego hanc
comparationem omnino meam facere, etsi complures horum in
multis haut raro istis simillimi deprehendantur, sed magno suo de-
decore. Laudat mercator quisque merces potissimum suas. Non
tam emtorum commodis studet, sed suo potius inhiat lucro.* In

B

merca-

mercatorum tabernis omnia ad speciem et ostentationem videas composita. Audies acerbissimas de miseria temporum, paupertate paucitateque emtorum querelas. Alter alteri maiorem, quam obferuat, emtorum frequentiam inuidet. Vanis haut raro pollicitationibus, inanique iactantia emtores adiciunt. Ipsi sua, conficta faepius, cum Gallis, Anglis, Batavisque commercia laudant, et, domesticis destituti, de exterorum, circumforaneis pharmacopolis parum absimiles, gloriantur praeconiis. Plura non addam, Sed dicis: In eo saltem vel optimi professores cum mercatoribus conueniunt, quod *mercatores merces quidem suas venum exponant, emtores vero in tabernas suas deportare nequeant.* Largiar tibi lubentissime hanc conuenientiam, si pari erga me liberalitate vsus, hanc etiam haut grauatim concesseris: nec mercatorum, neque professorum esse, vi minisque, emtores, ad tabernas suas frequentandas, adigere.

Noli tandem gymnasii nostri ciues iniustus oppido querelis, *tantae, latinitatis, logicae, & NB. realium, ignorantiae postulare, ut, si unicum exceperis, nemo reliquorum sit, qui duas saltem theses praescriptas priuatim, vel defendere, vel oppugnare valuerit.* Indignissimam hanc, gymnasii nostri ciuibus adpersam, maculam abstergere, ipsa conscientia iubet. Quinam sunt illi, qui oblatam, siue respondendi, siue opponendi prouinciam subterfugerunt? Aut si tale quid alio tempore factum est, nostris hodie ciuibus illud tribuere, nefas erit. Frustra, verbis, ea imputantur innocentibus, quorum contrarium in dies, ipso facto, testantur. Opponerem disputandi exercitia, quotidie fere in auditorio meo domestico instituta, publice in nupero lectionum nostrarum typo indicata, et in hunc vsque diem non sine felici, per Summi Numinis gratiam, successu continuata: sed potius ad excellentissimi celeberrimique SCHMIDII, solo satis nomine incliti, testimonium prouoco. Auditores eius ipsi haec disputandi exercitia, cum philosophicis praelectionibus coniungenda, modeste sibi experierunt, nec difficulter, pro singulari eius humanitate, obtinuerunt. Expertus hic testabitur, nostros, et si viribus dispares, quoties in hanc arenam descenderunt, descendunt autem fere quotidie, si non viros, hoc enim

nim ab ista aetate vix expectare, nedum postulare licet, iuuenes tamen, non plane imbelles inermesque, quauis occasione data, se praestitisse.

Hisc praemisissis, ad ipsam laborum conatumque nostrorum rationem, in nupero anniuersario decretam, publice reddendam pergo. Non repetam ea, quae in nupero praelectionum nostrarum typo pluribus indicaui; ista saltem, quae ad praesens institutum nostrum propius spectant, commemoraturus.

Hora octaua matutina in collegio ebraico, cum libro Iosuae, libellum quoque Ruth absoluimus. Auditores fuere tres, Andreas Henr. Toepffer, Seruest. Anhalt. 2) Christian Bearus Kentzelmann, Vitemb. Saxo. 3) Car. Eman. Hoffmeier, Girschlebio Anhaltinus. Quumque priores duo, nostram nunc cum academica musarum sede commutent: nouum, cum hoc semestri, collegium ebraicum fundamentale practicum, Summo Numine aduente, ita auspicabor, vt cum succincta, grammaticarum regularum expositione, ipsam libri Iudicum lectionem statim coniungam. Auditorum, spero, numerus superiorem istum quodammodo excedet.

Hora nona sili et disputatoriis exercitiis est destinata. Epistoliarum, latine conscribendarum rationem, Heineccio duce, huc dum docui, exempla sedulo mihi exhibita, mea qualiscumque lima polire conatus. Auditores fuerunt Andr. Henrich Toepffer, Seru. Anhalt, Andr. Guil. et Ioach. Aug. Iunack, Eichholz Anhalt, Christ. Beat. Kentzelmann, Vitemb. Saxo. Carl Eman. Hoffmeier, Girschleb. Anhalt. Guil. Frid. Chemniz, Seru. Anhalt. Guil. Andr. Roehricht, Seru. Anhalt. Ioh. Lud. Manso, Seru. Anhalt. Ioh. Sigismund Toepffer, Seru. Anhalt. Quum vero noui quidam collegii huius auditores etiam atque etiam a me contenderint, vt cum hoc semestri Heineccium nostrum denuo incoarem; hinc, vtrisque consulturus, omne negotium ita dispartiar, vt, cum suscipienda denuo prioris partis interpretatione, simul in parte secunda, eaque practica pergam.

Hora decima, eaque publica, in Reinhardti Institutionibus, theol. dogm. explicandis ad Lib. II. C. IV. de Prouid. diu. progressus

sus sum. *Auditores ordinarii* fuerunt numero X. Christ. Beatus Kentzelmann, Andr. Henr. et Ioh. Sigism. Toepffer, Andr. Guil. et Ioach. Aug. Iunack, Guil. Andr. Roehricht, Guil. Frid. Chemniz, Ioh. Lud. Manso, Andr. Guil. Pistorius, Moeckero-Brand, quibus etiam accessit Ioh. Mich. Hoffmeier, Seru. Anh.

Hora pomerid. III. in scholis metaphysicis Ontologiam absolui, Cosmologiam instanti hebdomade auspicatorum. *Auditores* fuerunt IX. Andr. Guil. et Ioach. Aug. Iunack, Guil. Andr. Roehricht, Ioh. Lud. Manso, Andr. Henr. et Ioh. Sig. Toepffer, Guil. Frid. Chemniz, Carl. Eman. Hoffmeier, Girschleb, Anh. Christ. Beat. Kentzelmann.

Hora IV. in graecis priorem, et capita quinque prima, posterioris ad Corinthios epistolae, methodo alibi indicata absolui. *Auditores* fuerunt VIII. Andr. Henr. cum fratre Ioh. Sig. Toepffer, Andr. Guil. cum fratre Ioach. Aug. Iunack, Guil. Andr. Roehricht, Christ. Beat. Kentzelmann, Ioh. Lud. Manso, Andr. Guil. Pistorius

Hi sunt qui praelectiones hucdum meas, qua par erat industria, attentione, constantia frequentarunt. Quantum profecerint, non meum, sed aliorum esto iudicium. Deseruit eas nemo, immo nec, nisi rarissime, vnum et item alterum, absentem me notare memini. Id quod fide publica confirmare, istosque hoc nomine Superiorum gratiae, bonorumque omnium patrocinio etiam atque etiam commendare, meum esse existimaui.

Vos vero, iuuenes ornatisimi, pergatis strenue in virtutis, quem ingressi estis, tramite. Crescite in spem patriae. Coniungatis porro, quod hucdum laudabili ratione fecistis, cum debita adfuitate, vitae integritatem, morumque honestatem, *συνείδησιν ἔχοντες ἀγαθὴν, ἵνα ἐν τῷ καταλαλῶσιν ὑμῶν ὡς κακοποιῶν καταίχονθῶσιν.* c) Ita fiet, vt metam vobis praefixam ex voto consequamini. Dab. e museo d. XV. Aprilis, a. r. f.

CIO IO CC XLVI.

ε) 1 Petr. III, 16.



Repof. 142

AB 155 048

ULB Halle
002 172 534




3

sb

u

1017





Quid de Doctorum Auditorumque que-
 relis, quibus illi, turpis ignaviae negli-
 gentiaeque, hos adculant; hi vero, impactum sibi cri-
 men, omnibus amoliri viribus conantur, statu-
 endum sit, disquirat:

Simulque, praelectionum suarum, partim hucdum non
 sine successu habitarum, partim hoc semestri de-
 nuo incoandarum, rationem
 reddit,

HENR. AVGVST. TOEPFFER
 S. S. Theol. et Metaphys. Prof. Publ. nec non ad
 S. Trinit. Pastor.

S E R V E S T A E,
 Litteris CHRISTIANI BÖHMII, Illustr. Gymn. Academ.
 Anhalt, Typographi, 1746.

